

medio illecebrarum sæculi ac tot circumiectis pietatũ
offensionibus, tamen uno nutu Pontificis undique com-
meare Romam ad limina sanctorum Apostolorum mul-
titudine frequens : cives pariter ac peregrini dare palam
religioni operam : oblataque Ecclesiæ indulgentiã con-
fisi, parandæ æternæ salutis artes studiosius exquirere.
Quem præterea ista non moveat, quæ omnium obver-
satur oculis, erga humani generis Salvatorem solito
magis incensa pietas ? Optimis rei christianæ tempo-
ribus facile dignus iudicabitur iste ardor animi tot
hominum millium una voluntate sententiaque ab ortu
ad solis occasum consalutantium nomen laudesque
prædicantium IESV CHRISTI. Atque utinam istas avitæ
religionis velut erumpentes flammæ magnum incen-
dium consequatur : exemplumque excellens multorum
reliquos permoveat universos. Quid enim tam huic
ætati necessarium, quam redintegrari late in civitati-
bus indolem christianam, virtutesque veteres ? Illud
calamitosum, alios et quidem nimis multos obsurde-
scere, nec ea, quæ ab eiusmodi pietatis renovatione
monentur, audire. Qui tamen si *scirent donum Dei*, si
reputarent, nihil fieri posse miserius quam descivisse a
liberatore orbis terrarum, moresque et instituta chri-
stiana deseruisse, utique exsuscitarent et ipsi sese, cer-
tissimumque interitum effugere converso itinere pro-
perarent. — Iamvero tueri in terris atque amplificare
imperium Filii Dei, divinorumque beneficiorum com-
municatione ut homines salvi sint contendere, munus
est Ecclesiæ ita magnum atque ita suum, ut hoc in
opere maxime omniseius auctoritas ac potestas consistat.
Id Nos in administratione Pontificatus maximi, per-
cili illa quidem ac plena curarum, videmur ad hunc